

dem non observatur ab iis, qui sensus iis  
elogiis ornant, quæ art. 2. recensuimus.

## EXERCITATIO LXXXIV.

*Continuatio Dialogi, ubi de tribus gradibus sensus in communi.*

I. *Qu.* **I**Taque de sensu, sub exemplo visûs potissimum, locuturis, quid omnium primò examinare convenit? *Ro.* omnium primò, quid sensus ac visus sit indagare oportet, quod profectò plerosque mortalium planè fugit, quid inquam sit hoc ipsum quod in homine **VIDERE & SENTIRE** appellamus; cuiusnam rei propria sit hæc functio; sitne mens quæ videt, an oculus, an aliud quid? sitne visus motus quidam atque affectio corporis, an perceptio & cogitatio animi à corporis motu velut mōniti atque excitati?

2. *Quin.* Valdè probo, quòd hanc nobis quæstionem imprimis tractandam proponis, facilè enim de vero sensuum usu atque officio eorum genuino iudicabitur, ubi quam habeant naturam sive quid propriè sint & in quo consistant, satis fuerit explicatum. Addo, experientia

tiâ